

vel ignorantiam de ore eius effuderit: digna pro hoc penitentia satissaciens: venia petat in terra pistriatus. Item in regula carnanteusi capitulo quartodecimo sic legit. Hec sunt que in monasterio constitutis. pro dei amore et timore re conuenit obseruare: propter quod in unum estis pro timore domini congregati. Oportet ut in domo domini unanimes habitetis: et sit vobis anima una et cor unum in timore domini qui vigilans: nihilque habere vos proprium reputetis: sed sint cuncta communia: que vobis abbatis imperio dispensantur. Et in regula monacho et orientalium dicitur. Inter omnes fratres hoc obseruabitur: ut obedientes senioribus suis. et deferentes sibi iniucem. habeant patientiam. moderationem. humilitatem. charitatem. pacem sine figuramento et mendacio. et maledictione. et verbositate. et iurandi consuetudine: ita ut nemo suum quicquam vendicet: neque ullus aliquid peculiariter usurpet: sed habeant omnia communia. Sed et sine seniorum verbo et auctoritate. nullus frater quicquam agat: neque accipiat aliquid neque det. Vigilius quoque diaconus et abbas in. lxxij. capitulo sue regule sic loquitur. Quid peculiarare apud aliquem inuentum fuerit: grandi eum abbas et diuina ecclesiastica communicatione comedinet: ut illius exemplo deterriti omnes: nullus hoc audeat imitari. Et beatus cesarius episcopus arelatensis in. xv. capitulo regule sue dicit. Nemo sibi aliquid iudicet proprium: siue in vestimento siue in alia quaquam re magna vel parua. Aurelianus episcopus in regula ad moniales. capitulo tertio sic dicit. Nihil occulte accipiatis: sed si quis pro spinquis aut amicus aliquid in vestimento aut in auro. vel aliud quodcumque dederit aut transmiserit: in potestate sit abbatis. Et si illi cum transmittitur necesse fuerit tributar: sin vero illa non indiget: in communione redactum. cui est necessarium tribuatur. Item in regula servi dei ad sorores capitulo. xvij. scribitur. proprij aliquid in monasterio nihil est habendum: sed potius propter nomen domini omnia continentia sunt. Quid enim proprium aliquid suum fidelis anima de rebus mundi vendicet: cui mundus crucifixus est.